

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Alcibiades II. (argumentum)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

AL. Decet. S O C. Et si quemadmodum supra diximus, in diuinum splendorem intuentes agetis. AL. Videtur. S O C. Quinetiam illuc respicientes uosmetipfos uestraq; bona perspicue discernetis. AL. Certè. S O C. Nonne si recte atq; bene agetis? AL. Agemus. S O C. Enimuero fideiubere paratus sum uos, si ita uixeritis, felices fore. AL. Locuples certè fideiussor. S O C. Contrà, si iniuste uixeritis, intuentes in tenebras diuinitatis expertes, cõsimilia tenebris opera, quemadmodũ necesse est, facietis, uosipfos penitus ignorãtes. AL. Videtur. S O C. Cui enim õ amice Alcibiades, potestas adest, quodcũq; libuerit faciendũ, mente uero captus est, quidnam putas illi contingeret? siue priuatus ille quidẽ siue respub. sit. Veluti si ægrotanti cuidam libera licentia sit, rationem medici nullam habendĩ, sed rãquam tyrannidem exercendĩ sic, ut nemo hominem absterere ualeat, quid illi euenturũ putas? Nonne uerisimile est corpus iri corruptũ? AL. Vera loqueris. S O C. Quid uero, si in nauĩ apud quempiã omnis licentia sit quodcũq; uideatur agendũ, mente tamen & gubernandĩ peritiã careat, num cernis quã ei & socijs euentura sint? AL. Opinor equidem illum & seipsum & unã socios perditurũ. S O C. Nonne igitur omni reipub. omniq; imperio & dominationi ubi uirtus abest, contingit ut male agat? AL. Necesse est. S O C. Non ergo tyrannis optime Alcibiades, aut nobis aut reipub. parãda est, sed uirtus, modo felices esse uelimus. AL. Vera dicis. S O C. Cãterum anteq; uirtus adsit, conducit uirõ, non solum puero, regi à meliore q; regere. AL. Apparet. S O C. Nonne quod melius est, idem & pulchrius? AL. Sic est. S O C. Quod pulchrius decentius? AL. Quid ni? S O C. Decet itaq; malum seruire: melius enim est. AL. Decet. S O C. Seruilis ergo prauitas. AL. Apparet. S O C. Liberalis aut uirtus. AL. Ita est. S O C. Nõne õ amice seruitus fugienda? AL. Maxime quidem õ Socrates. S O C. Adueris quomodo te nunc habeas? utrum libere, an contrã? AL. Et maxime quidem, ut mihi uideor, hoc sentio. S O C. Nosti ne quo pacto id quod nũc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare. AL. Noui equidem. S O C. Quomodo igitur? AL. Si ipse uolueris õ Socrates. S O C. Haud recte loqueris Alcibiades. AL. At quomodo dicendum est? S O C. Si Deus uoluerit. AL. Dico equidem, atq; hoc insuper addo, periculũ esse ne figuras inuicem mutemus, tuam quidem ego induẽs, tu autẽ meam. fieri enim non potest, quin ego te deinceps ducam, tu autẽ à me ducaris. S O C. O generose, nihilo igitur meus in te amor à ciconia differt, si posteaquã prope te uelut in nido amorem allatum fouerit, ab illo iterum nutriatur. AL. Profecto sic se res habet, & incipiam hinc iam iustitiã meditari. S O C. O q; te perseverare uelim. Timeo autem naturã tuã diffidens, huiusq; ciuitatis uim intelligens, ne ea me simul ac te uincat.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI
in Alcibiadem Secundum, uel De uoto.

QUONIAM secundus Alcibiades liber profecto sanctissimus de uoto inscribitur, summam colligendum est, quid uotũ, quid in uoto petendum, & quãdo, & quomodo. Definitio uoti partim ab Orpheo, partim à Platone sumpta hæc est. Uotũ est ardẽs affectus casti animi, deo deditus, et quod bonũ uidetur exoptã. Huic affectui Zoroaster et Orpheus suffumigationes et characteres adhibuerunt, quoties ad secũda numina preces dirigerẽtur. Mercurius ac Plato cũ supremi numinis maiestãte uenerabãtur, æternas omnes ceremonias auferebãt, solam ac purã fragrantã animi relinquentes. Sed de his omnibus in nostris cõmentarijs diligentius. In uoto petendũ Plato uult bonum: idq; ex eo patet, quod petitionẽ hanc poete Lacedæmoniorumq; testimonio comprobãt, eamq; tutam & prudẽti & imprudẽti esse putat, uotũq; huiusmodi & à quolibet & semper fieri posse. Petitionẽ uero certi cuiusdã & proprii boni tunc demũ esse securã, cũ prudentiam quis fuerit consecutus, alias autem periculosã. Vbi multa de prudentia differit, quã tu uir omniũ prudentissime Cosme lege obsecro diligenter, ut quanti faciat prudentiã prorsus agnoscas. Vniuersalis ergo precatio, qua bonũ solummodo petitur, semper fieri potest: propria uero qua certum aliquid quod bonũ uidetur optatur, tũc faciendã cũ quid postcendum est quis nouerit. tunc id noscet, cum quid bonum, quid malum est, intellexerit. Id intelliget, cum à mẽte didicerit. Discet, cum se ad illam conuerteret. Conuertet, cum purgauerit animam tenebrasq; expulerit. Purgabit, cum seipsum legitime philosophiã dediderit. Tradet, cum suã ignorantiam recognouerit. Nosce ergo te ipsum, templo Apollinis est inscriptum, ne quis temere deum oraturus accederet. Quo autem ordine in oratione propria sit orandum, Mercurius in orationibus suis, et in suis hymnis Orpheus, et Pythagoras in carminibus aureis docuerunt, quorum ritus alias exponemus. Plato deinde hos theologos imitatus, in libro De pulchritudine orantem sic Socratem introducit. O amice Pan atq; cãtera numina date obsecro ut intus pulcher efficiar: quãcũq; & mihi ex-

trinfecus

intrinsicis adiacent, intrinsicis sint amica. Sapientē solum diuitē putē. Tantum uero huius auri tradite, quantū nec ferre nec ducere alius quā uir tēperans possit. Quid petit Socrates? Bonum. Quod bonum? Sapiētia, hoc est ueritatis diuinæ cognitionē, quam dare solus deus potest, quā accipere solus animus pulcher, id est tēperatus, purus, candidus ualet. Quid possit in primis? ut dignum sapiētia faciāt. temerarij nempe hominis est, munus aliquod quo indigus est petere. Quis diuina sapientia dignus? qui lumen eius ferre paratus est. quis paratus? qui per cōtinentiam primo, deinde per tēperantiā, postremo per sanctimoniā, id est ciuile, purgatoriā purgatiq; uirtutē animi, sic animū expiauerit, ut pulcher hoc est purus omnino nitidusq; euaserit, et uirtutē iam exemplarē, diuinā scilicet sapientiam solam, utpote thesaurum omnium diuitiarū optauerit. Idcirco Socrates deum patrē omnium & ministros eius amice adspirare precatur, ut illorū benigno proprioq; fauore purgatus euadat. Corporca uero et externa leuiter pertrāsīt, eligēs illa sic se habere, ut tranquillā puritatē animi nō impediāt. Deinde pulchritudine hac iam parta, optat ut sapiētia solam hoc est dei cognitionē esse opulentia omniū sufficientiaq; estimet, solamq; sitiāt. Postremo quasi per ante dicta paratus fulgidū hoc aurū diuinæ sapiētiae postulat. Neq; id superbē, neq; remisse tamē. Minimam quippe ueritatis cognitionē intēperati homines fortiuntur, summā & infinitā in seipso deus amplectitur, magnā uero & amplam uir tēperans adipiscitur. Tantū igitur huius auri postulauit, quantū solus ferre uir tēperans ualet. Hoc equidem esse aurum ignitum arbitror, quod emendum Ioan. in Apoc. præcepit.

Oratio Socratis ad Deos

ALCIBIADES II. VEL DE VOTO

SOCRATES, ALCIBIADES



DEVM ne ô Alcibiades precaturus accedis? ALC. Et maxime quidē ô Socrates. SOC. Tristitiam quandam præ te ferre uideris, & oculos in terrā figere, tanquā aliquid ipse tecum cogitans. ALC. At quid cogitē ô Socrates? SOC. Maxima ut mihi uideat: nam dic per Iouem obsecro, nōne putas deos eorū quæ uel priuatim, uel publicē precamur, nonnunquā cōcedere partim, partim negare, atq; id his quidē annuere, illis uero minime? ALC. Omnino quidē. SOC. Nōne igit tibi uideat magna prouidentia opus esse, ne quis seipsum fallat dū magna petit mala, credēs bona se petere: Dī aut in eo sint, ut rogantib. annuant: quēadmodū Oedipum ferunt obsecraste deū, de regno paterno ut filij ferro decernerēt. Cumq; debuisset præsentium tum malorū auersionē poscere, alia insuper imprecabāt. Vnde ad eum euentū ista uenerunt, atq; ex ijs alia multa & grauiā, quæ referre singula nequaquā opus est. ALC. At tu furentē quidē hominē in exemplū adduxisti: nam quē putas sanæ mentis hominē audere talia petere? SOC. Insanire nōne cōtrariū est ei, quod est prudentē esse? ALC. Prorsus. SOC. Num ex hominibus, alij prudentes esse, alij imprudentes uident? ALC. Vidētur sanē. SOC. Age itaq; cōsideremus quānam isti sint. Esse enim alios quidē imprudētes, alios uero prudentes, nōnullos insanos, iam cōuenit. ALC. Cōuenit. SOC. Præterea bene ualentes aliqui sunt. ALC. Sunt. SOC. Ægrotantes alij. ALC. Omnino. SOC. Nō ergo iidē sunt. ALC. Nō certe. SOC. Sunt ne alij quidē qui neutrum istorū patiantur? ALC. Nequaquā. SOC. Necesse est enim hominē uel ægrotare uel non ægrotare. ALC. Videtur. SOC. De prudentia uero & imprudentia idem iudicas? ALC. Quō dicis. SOC. Hominem aut prudentem, aut imprudentē, aut tertium præterea uelut medium quiddam esse oportere putas, quo nec prudens nec imprudens sit? ALC. Nihil profecto. SOC. Necesse est igitur alterum istorum pati. ALC. Apparet. SOC. Recordaris concessisse te insaniam prudentiæ contrariam esse? ALC. Equidē. SOC. Et mediū nullam rem quæ hominē nec prudentē nec imprudentē efficiat? ALC. Cōsenti quidem. SOC. Quinetiā duo esse eidem rei cōtraria quo pacto possunt? ALC. Nullo. SOC. Imprudentia igitur atq; insaniam idem esse uident. ALC. Videntur. SOC. Si ergo oēs imprudentes insanire dixerimus, rectē dicemus, & ex tuis equalibus, necnon ætate maioribus quicunq; sunt imprudentes insanos esse. Nōne putas per paucos esse in hac urbe prudētes, imprudētes plurimos, quos insanos appellas? ALC. Equidē. SOC. An cēses nos tutos inter hos insanos ita uersari, quā ab eis percutiamur, ac uerberemur, & quæcunq; furiosi facere cōsueuere patientes, iam dudū pœnas non fuisse duros? Sed uide ô beate, ne aliter se res habeat. ALC. Quo pacto se habet ô Socrates? Apparet em̄ nō ita esse ut putaram. SOC. Non certe ut mihi uideat, sed hoc fortasse pacto cogitandū est. ALC. Quōnam? SOC. Dicā tibi. Ponimus aliquos ægrotantes esse, necne? ALC. Omnino quidem. SOC. Nunquid necessarium opinaris omnem ægrotum cruciari

Occasio dialogi

Negat Plato esse mediū inter sanum & ægrum

Inter prudēte & imprudentem
Vnō posse esse duo cōtraria: sed si contraria, duo sunt